



A 231  
3

Alte

Sammlbd.

Lil

Hist.

III. C. 0

*m* *n*

Q. F. F. 3

# CRITICAE SACRAE SANIORIS

SPECIMEN I.

---

QVO PRAEMISSO  
FAVTORES AC PATRONI  
SCHOLARVM,  
VT  
ORATIONIBVS VII.

d. III. Nov. cl 15 CC XLVII.

HORA II. POST MERIDIEM

INTERESSE VELINT,  
*HUMANISSIME INVITAT*

CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,  
CRUCIANI RECTOR.

---

DRESDAE,  
LITTERIS HARPETERIANIS.






## CRITICÆ SACRAE SANIORIS SPECIMEN I.

Vi rem Criticam sectantur, eos dicit primum reverenter de sacro Codice sentire, utpote libro divipitus inspirato, tum vero sufficienti non artis Criticæ solum generatim acceptæ, sed etiam lingvarum sacrarum, cognitione non mediocriter esse instructos. Quando de arte Critica generatim sumta loqvor, paucis indico, nondum adesse hujusmodi librum, quem juventuti merito suo liceat commendare, qvum liber Joannis Clerici, qvi hoc titulo prodiit, nihil aliud agat, qvam ut opiniones auctoris sui frivolas & absurdas incauta juventuti aliquo velamine obregat. In Critica sacra caute omnino agendum est, nec inconsulte aut temere aliquid audendum, qvod superiore ac nostro seculo multis accidit. Neque vero sola cognitio lingvarum sacrarum Grammatica & Theologica, sed Historica quoqve hic reqviritur: qvippe sine qva nihil sani hic proferetur.

( 2

Pri-



Primum, qvod hic meditor, erit, ut de variis Hebrai Codicis lectionibus sim sollicitus. Dabo enim regulas, probatas & fatis certas, ex quibus de prima, vera & antiquissima lectio ne judicare licet. Illas vero cupio, ut Lectores ex illis, quæ producam, exemplis capiant. Igitur statim ad enodanda critice loca quædam veteris Instrumenti me accingo.

### Psalm. XXII. 12.

Initium faciam a loco vexatissimo (mirum sane in modum a variis generis hominibus vexato) necinem autem unquam vexante, si mens non lava suisset. Verba divini Psalmæ sunt: *Qoniam circumdederunt me canes, caterva malignantium cinxerunt me: בָּאָרוֹ יְהוָה וְבָלִי*, sic ut leo manus & pedes meos. Consulamus primum versiones antiquissimas. Chaldaeus interpres vocem *בָּאָרוֹ יְהָךְ בָּאָרְיָה אָרוֹ וְרָגְלֵי*, personarunt *sic ut leo manus & pedes meos*. LXX. Senes vernerunt *στραγγεῖν*, foderunt. Aquila, *ποδὸν ποδοφύλαξ*, pudore suffuderunt. Hieronymus, fixerunt. Psalterium Gallicum & Romanum, foderunt, qvod etiam exhibet Tertullianus aduersus Judæos c. 10. idem tamen c. 13. vertit, extirparunt. Lactantius IV, 18. effoderunt. Ex quibus omnibus sic concludo, tum ante natum Christum, tum post ipsius tempora usque ad seculum quintum, ita legisse Codices hebraicos, ut in ipsis existenter non *בָּאָרוֹ*, *בָּאָרְחֵל*: quia omnes exprimunt terram personam pluralem. Ille igitur natus, sive ab errore scriptorum, sive a malitia hominum descendat, seculo quinto est longe junior.

2. Progredimur nunc ad ipsos Judæorum doctores. Et hiz testantur, antiquissimos suorum Codices legisse; non *בָּאָרוֹ*. Provoco primum ad antiquissimum in Psalmos Commentatorum;

\* \* \*

rem, vulgo vocant Midrasch Tehillim. Is ad verba nostra hæc  
commentatur. כָּרְיוֹ יְהוּ וּרְגָלִי רַיְהוּה אָמֵר עֲשׂוֹ לִי כְּשָׁפִים  
חָכְרוּ וְרוּ וּרְגָלִי Sicut leo manus & pedes meos. R.  
Jehuda dixit: Fecerunt mibi magiam, perfosæ sunt manus meæ  
& pedes mei. Vides hic depravationem Judæorum recentiorum,  
qui editiones impressas curarunt. In textu ponunt vo-  
cem כָּרְיוֹ, in explicatione vero ita se gerunt, ut palam sit, le-  
ctum ab illis suisse כָּרְיוֹ, terram scilicet pluralem. Cave au-  
tem, Lector, hæc verba in ipso libro Midrasch Tehillim quæ-  
ras: nam utraqve editio, quam præ manibus habeo, Bomber-  
giana & Amstelodamensis recentissima, hæc verba non exhibet.  
Vnde vero, inquis, illa tibi nota sunt? respondeo, ex Jalkut Si-  
meoni tom. II. fol. 97, 4. qui lacinianus ex Midrasch, ut solet,  
excepit, & nobis fraudem tribulum suorum fecit manifestam.  
Is liber confessus est ante tempora inventæ typographiaæ. Qui  
vero Midrasch typis subjecerunt, & verba hæc expungere ausi  
sunt, non cogitarunt de libro Jalkut. Igitur Deus, qui frau-  
dem hanc Judaicam permisit, ex altera tamen parte pro sapien-  
tia sua rationem fraudes illorum detegendi nobis exhibuit. Et  
fuit, qui in editione Francofurto-Viadrina margini adlineret,  
hæc verba in ipso Midrasch non inveniri: id qvod res ipsa do-  
cebat. Porro ipsi Judæorum Masoretæ sive Critici aperre pro-  
fitentur, in Codicibus antiquis lectum suisse כָּרְיוֹ. Sic enim  
expressæ in Masora magna Numer. XXIV, 9. כָּרְיוֹ בָּרָע Vox bis occur-  
rit in sacris litteris, Numer. l. c. Incurvavit se & prosecubuit  
sicut leo: & in loco Psalimi: Sicut leo manus & pedes meos:  
ubi tamen in textu scriptum est כָּרְיוֹ Scripseram hæc, quum  
forte fortuna incidet in Caput secundum Tractatus Talmudi-  
cii Avoda Sara, a Georgio Eliesere Edzardi, viro his litteris  
non leviter tincto, separatim editum, ubi via laudatus in Com-

mentario p. 244. hanc locorum bigam jam adduxit. Ne quis igitur me plagii accuset, facile mihi, vel non jurato, Lector æquus crederet, me hos ipsos autores pervoluisse, id quod de Midrasch Tehillim tomus posterior Horarum Hebraicarum satis luculenter docet.

3. Porro docendum nunc est, medio ævo adhuc adfuisse Codices Hebraicos, in quibus lectum sit כָּרְוַי vel כָּרְוֵי. Et primo quidem Hieronymus a S. Fide, Ex-Judæus, seculi XV. scriptor, in opusculo contra Judæos I, 8. ex Breschith rabba dicit, occurere hic תְּקֻן סֻוּפִירִים, sive correctionem Criticam Sapientum, qui olim hoc sibi sumserunt, ut quædam in sacris literis, ex mente sua non satis judiciose scripta, emendarent. Notandum vero est, verba, quæ is in libro laudato Breschith rabba legerat, in exemplis hodie impressis non haberi. Et tamen jam ante ipsum Raymundus Martini in Pugione Fidei part. III. distinct. III. c. 16. §. 32. idem proferri, additis his verbis : *Sed hoc est correc<sup>tio</sup>, vel potius, corruptio scribarum.* Qvum vero hi Duumviri, in scriptis Judæorum satis exercitati, de Tikkun Sopherim loquantur, nescio quid de fide sequiorum Judæorum tenendum sit, qui locum hunc Psalmi, quantum quidem mihi constat, ubique ex serie τῶν Tikkunim expunxerunt. Hoc mihi, scripta ipsorum quotidiane volventi, constat, eos ad hunc Psalmum, & hunc præcipue versum, paucissima esse commentatos, imo, quæ majores ipsorum commentati fuerant, ex libris imprimendis expunxisse. Prodeat nunc Petrus Niger, qui lingua germanica Eslingæ 1477. Stellam Messiae edidit, librum hodiè rarissimum. Is Judæos aperte falsi accusat, prout verba ejus sequentia docent : *Notandum hic est, Judeos pessimos hunc textum corrupisse, & qvum olim lectum sit Karu, perfoderunt, prout, hodieque in exemplis vetustioribus legitur, ipsi scribunt*

Kaari,

Kaari, quod vertendum, sicut leo manus & pedes meos. Adeoque effugere & extingvere cupium sensum Scripturæ sacrae, ex qua passionem Christi, Domini nostri, comprobamus, quippe cuius manus & pedes pessimi Judei & gentiles perfoderunt. Recentiore a<sup>o</sup> Petrus Galatinus in opere de Arcanis Catholicæ veritatis VIII, 17. hæc memorat: *In aliquibus tamen vetustissimis קָרְוִי caru, quod idem est, ac foderunt, scriptum reperitur.* Alios tres testes recentiores, qui idem docent, refert Augustus Pfeifferus in Exercitatione de hoc ipso Psalmi loco, quam Crucem Criticorum inscripsit, §. 14. quos non exscribo, prater hoc unicum, lectionem קָרְוִי in Codice manu exarato Bibliothecæ Jenensis hodieque exstare.

Ex his itaque constat, lectionem קָרְוִי non a Spiritu Sancto, sed a perversitate Judæorum ortam esse, illud vero קָרְוִי, quod eodem recidit, antiquissimis & mediis temporibus in usu fuisse. Igitur recte cum Luthero nostro statuimus, illam depravationem a Judæis intentatam, a Deo quodammodo permisam, a rudioribus & inexercitatis non satis perspectam, multumque negotii viris doctis faceſſentem, ex Codicibus biblicis esse ejiciendam. Quod eo facilius procedet, quia in omnibus fere versionibus occidentalibus vera lectio servata, & in ipsa praxi retenta est.

### Jes. IX. 3.

Notum est, dari loca Biblica XVIII, in quibus Judæi voces duas נָא & יְהֹוָה confuderunt. Vnicum tantummodo exemplum adducam, ex quo de reliquis omnibus judicium ferri poterit. Jesaias c. IX, 3. de Messia hæc vaticinatur: *לֹא הִגְּרַלְתָּ שְׁמָחָה, non multiplicasti gaudium: sic enim verba in Codicibus nostris legun-*

leguntur. **Keri** vero sic habet: **לְיִψֵּי מַלְכָּה** gaudium. Qvæ sane contradictionem involunt, & unum cum altero stare nequit. Matthæus Hiererus in Arcano Keri & Ketif p. 59. ait, **לְאֵלֹת** idem esse, qvod **לְ**. Verum si hoc valere debet, qvilibet homo prophanus & impurus ex Scriptura faciet nasum cereum, & pro depravat<sup>z</sup> mentis libidine particulam negativam affirmative explicabit. Qvale qvid personatus Auctor, sub Irenei Kranzovii nomine latere cupiens, nuper admodum in præceptis divinis Decalogi, ironice, ut creditur, tentare ausus est.

Qvod vero ad verba Prophetæ citata spectat, vera lectio est **לְיִψֵּי**, illud **לְאֵלֹת** vero ex depravatione Judæorum irrepit. Id qvod sic probo: 1. ex verbis statim sequentibus, ubi vates divinus dicit: **שְׁמַחוֹ לְפָנֶיךָ**, gaudebunt coram facie tua. Qvod igitur expresse adfirmatur, illud in præcedentibus negari non potest. Nam promissiones divinæ in Christo IESu non sunt **שְׁמַחוֹ** 8, verum **שְׁמַחוֹ אֲמֵרָה**. 2. Corinth. I, 19. 20. 2. ex implemento hujus vaticinii. Qui enim ex circumcitione ad Christianum sunt conversi, semper latati sunt, qvando gentiles quoqve veram fidem amplexi, & donis Spiritus S. illustrati sunt, Auctor. X, 45. 3. ex paraphraſi Chaldaica, qvæ sic habet: **לְהַעֲשֵׂת אָסָנוֹת**, **חַדְרוֹת**, **לְיִψֵּי מַלְכָּה** gaudium. Is vero subjectum, ut Philosophorum filii dicunt, hujus gaudii statuit populum Israeliticum, adeoque recte pluralem numerum adhibet, docet vero simul, in antiquo, qvod ipse triverat, exemplari lectum fuisse **לְ**. 4. ex LXX. Senibus, qvi quidem, prout in Prophetis & Psalmis solent, rem acu minime tangunt, sed qvidvis potius aliud dicunt, his verbis: **τὸν πλεῖστον τὸν λαὸν, ὃ κατίγονες ἐν ἐνθρόνῳ σώζετε**: interim tamen hoc satis docent, particulam negativam in Codice, quo usi sunt, lectam non fuisse. 5. Ipsi Judæi antiqui in Sohar Genes. fol. 73. col. 289. circa finem, ubi haec verba adducunt, expresse legunt **לְ**.

Sic

• • •

9

Sic igitur veram & antiquam lectionem, ipso Judæorum testimonio usi, satis superque confirmatam dedimus.

Jesu, IX. 5. 6.

Aliud exemplum suppeditat locus ex eodem capite, de Messia nascituro agens, ubi tamen alia adduntur, divinitatem illius indicantia. Quid hic Judæi? Non potuerunt testimonium tam luculentum concoquere, hinc aliquid interferunt, ut illud aliquo modo obscurarent. Mem scilicet clausum in media voce posuerunt, sic, ut nunc Codices nostri legant **לְסִרְבָּה**. Qvam rem non adtendentes quidam ex Christianis in hoc Mem clauso mysteria qvasiverunt, & crediderunt, Messiam ex utero Mariae clauso prodiisse: quo nihil dici potest absurdius. Si enim Christus nobis in omnibus, excepto solo peccato, similis factus est, id qvod Spiritu Sancto doctore pie & vere credimus, in nativitate quoqve similis fuit. Neqve illa apertio uteri Mariae, virginitati illius quidquam derogat, qvippe qvæ neqve in uteri clausura, neqve apertione consistit, sed in eo, qvod ἀνδρας εκ οὐλωσεων. Judæi vero nobis singularem aliquam veritatem eripere volunt, nimirum regnum Messia pacificum & aeternum esse debere: fibi autem illud adrogarunt, hoc sensu: **לְמִרְבָּה הַמְשֻׁרָה**, *ipsis* (Israelitis) multum & magnum erit imperium. Sed ad rem Criticam deveniamus. Fateor, antiquam esse corruptionem, qvippe qvæ jam in Sohar occurrit Genes. fol. 12. col. 46. fol. 26. col. 203. Numer. fol. 65. col. 259. & Tikkune Sohar c. 5. ubi nescio qvæ mysteria ex illo Mem clauso eliciunt. Occurrit quoqve in Sanhedrin fol. 94. 1. ex qvo tamen loco illud in rem nostram salutariter acceptamus, verba hæc Prophetæ de Messia agere. Fateor & illud, in Targum & versionibus antiquis parum hic nobis esse subsidii ad veritatem indagandam,

)(

qvia

quia plerique non tam verba verterunt, sed tantum sensum nobis expresserant. Solus Theodotion ab Eusebio citatus ita vertit: τὸν πληθύνειν τὴν παιδείαν, quo ipso ostendit, se τὸν ταγμα præfixum in codice suo habuisse, non autem perversum illud τὸν, quippe quod hebraicum non est, legisse. Ipsi autem Judæi antiquam & veram lectionem in scriptis antiquioribus conservarunt, in quam rem adducimus Vajikra rabba sect. 36. fin. Bammidbar rabba sect. 11. fol. 213. 2. Pesikta sotarta fol. 41. 3. Midrasch Ruth rabba fol. 43 2. & tractatum Talmudicum Schabbath fol. 55. 1. ubi expresse legitur הָרְבָּה. Sensus autem, quem Spiritus S. indigit, hic est: *Ei, qui multum & magnum facit imperium, & paci (sub eo) non est finis.*

Ex hac locorum Triga videbit Lector, quomodo ego in Critica V. T. quendam virum doctum versari cuperem, cui hæc sunt observanda: 1. Judæos ex mero contra Servatorem odio códices sacros corrupisse: id quod nemo negabit, quoniam eos ἐπ' αὐτοφάρῃ deprehenderimus. Igitur illas corruptiones non ante tempora Servatoris incarnati, verum post illa, suscepimus esse certissimum est. 2. Omnes illas depravationes, tum alios scribarum & pseudocriticorum lapsus, quacunque in re confistant, tollendas esse ex collatione interpretum antiquissimorum, Chaldaeorum pariter & Graecorum, item citationibus Rabbinorum veterum, prout a me jam ostensum est. 3. Res omnis agenda est in timore Domini, qui, ut omnis sapientia, sic & Critica, principium est. 4. Non negligenda est sana doctrina Ecclesiarum nostrarum, ex ipso Dei verbo deponita, quippe quæ de Στονεύσιᾳ & αὐθεντίᾳ sacrarum litterarum rectissime docent: quamvis negandum non sit, eas hoc usque permisisse, ut Codices Biblici plerumque adhuc ad mentem Masoretarum imprimerentur.

Hæc

Hæc præmisi, ut gustum Lectoris tentarem, & scirem, an  
hoc modo pergendum sit. Si enim veritatem non licebit sine  
controversia tractare, abundet suo quisque genio: nam ego hic  
bono Ecclesiæ inservire cupio. Nunc ad rem nostram. Pro-  
ducendi sunt rursum aliquot ex discipulis nostris, ut publice lo-  
qui discant, & specimen simul diligentia sua exhibeant. Ma-  
teriam illis dicendi de OTIO proposui, quæ in Scholis nun-  
quam satis exerceri potest. Hinc

1. JO. LUDOVICVS VOGEL, *Dresdenis,*  
docebit, Otium esse vel honestum vel imboneſtum.

2. CHRISTIANVS ADOLPHVS CRA-  
MER, *Seiffersdorffensis ex vicinia urbis Radebergensis, Oti-*  
*um imboneſtum in quo confitat.*

3. JO. GOTTLLOB PEVCERVVS, *Maxensis,*  
Otium illud originem habere a Diabolo.


4. SAMVEL GOTTHELFF MENDE,  
*Altenbergensis, Otiū parere virtu.*

5. JO. CHRISTIANVS GOEBEL, *Ruppen-*  
*dorffensis ex agro Dippoldiswaldensi, Otiū parere pauperia-*  
*tem.*

6. CAROLVS GODOFREDVS WIN-  
DISCH, *Pirnenensis, Otiū legibus publicis esse coercendum.*


XX 2

7. FRI-



7. FRIDERICVS AVGVSTVS DOERFFLING,  
*Liebenwerdensis, ostendet, Tabernas cerevisiarias & vinarias frequentare maximam apud Germanos partem otii constitvere.*

Hoc exercitium publicum instituetur d. III. Novembris, hora II. post meridiem, qvod ut Scholæ nostræ Fautores ac Patroni præsentia sua ornare dignentur, favorem ipsorum præsentem ac paratum rogamus & expectamus. Dab. Dresdæ  
d. XXIV. Oct. clo 15 cc XLVII.



AB:153137

ULB Halle  
003 898 784

3



V018

56.

R

WNA



B.I.G.

Black

White

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches



*m* *12*

Q. F. F. S  
**CRITICAE SACRAE  
SANIORIS**  
SPECIMEN I.

QVO PRAEMISSO

FAVTORES AC PATRONI  
SCHOLARVM,

VT

**ORATIONIBVS VII.**

d. III. Nov. ob 15 CC XLVII.

HORA II. POST MERIDIEM

INTERESSE VELINT,

*HYMANISSIME INVITAT*

**CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,**  
CRVCIANI RECTOR.

DRESDAE,

LITTERIS HARPETERIANIS.